



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quid sind sponsalia, & quâ formâ seu modo contrahantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

LIBER QUARTUS.
DECRETALIUM.

TITVLVS I.

DE SPONSALIBUS, & MATRIMONIIS.

SECTIO I.

De Sponsalibus de futuro.

§. I.

Quid sint sponsalia, & quā formā seu modo contrahantur.

Sponsalia (proprie loquendo) communiter à Jurisperitis definiuntur, quòd sint futurarum nuptiarum mentio & repromissio, ita ut promissio talis & repromissio non debeat merè interna esse, sed aliquo signo externo manifestari, cum sponsalia talia sint contractus inter homines, ad quos sola interior mens & intentio non sufficit.

Secundò non debeat esse simplex tantum ex parte unius promissio, sed mutua sive reciproca, ex parte utriusque contrahentis; neque sufficiat ad sponsalia contrahenda propositum tantum, aut alterius promissionem acceptam quidem esse, non tamen factam illi futuri etiam matrimonij repromissionem. Tertio

Compend. Pirhing.

debeat esse sufficienter deliberata, & scilicet deliberatione, quæ sufficit ad peccandum mortaliter (cum utique plus non requiratur ex parte deliberationis ad obligandum se homini, quam requiratur ad obligandum se Dæmoni) non ficta, cum ficta promissio non sit seria promissio, neque talis habeat animum se obligandi.

Contrahuntur autem sponsalia per verba & signa quælibet, quibus secundum communem modum loquendi, & usum patriæ, ac secundum præsentis circumstantias exprimitur mutua promissio de Matrimonio contrahendo, ita ut si verba dubia sint, in foro quidem conscientiæ, standum sit intentioni contrahentium, juxta quam verba suam explanationem recipiunt, in foro tamen externo non statim intentioni contrahentium, quæ sæpius latet, sed communi & recepto verborum sensui, quem verba communiter ex usu patriæ ingerere solent.

N a n n

§. II